AUTHOR:

WILAMOWITZ-MOELLENDORFF, ULRICH VON...

TITLE:

CONIECTANEA...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

[1884]

Master Negative #

93-81553-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Wilamowitz-Moellendorff, Ulrich von, 1848-1931.
Coniectanea... Gottingae, officina academica Dieterichiana, [1884]
18 p. 27½ cm.

At head of title: Index scholarum...in academia Georgia Augusta...1884 habendarum...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 13.5x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/7/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE AESTIVUM

A D. XV. M. APRILIS USQUE AD D. XV. M. AUGUSTI A. MDCCCLXXXIV

HABENDARUM.

Praemissa sunt Udalrici de Wilamowitz-Moellendorff Coniectanea.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.

WILH. FR. KAESTNER.

INDEX
SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE AESTIVUM

A D. XV. M. APRILIS USQUE AD D. XV. M. AUGUSTI A. MDCCCLXXXIV

HABENDARUM.

Praemissa sunt Udalrici de Wilamowitz-Moellendorff Coniectanea.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.

WILH. FR. KAESTNER.

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
HERMANNUS SCHULTZ
CUM SENATU.

Corrigere res est tanto magis ardua, quanto magnus Aristarcho maior Homerus erat. Ovidii versus est, ingeniose, ut solet, et difficilem esse corrigendi artem professi et humilem. qui ut ita iudicaret videri potest taedio esse commotus, quod in suis carminibus perpoliendis tantum percipiebat, ut pleraque edere mallet qualia luxuriante ingenii vena profuderat, quam ad ursarum artes educatrices descendere, quibus Vergilius versuum suorum elegantiam effectam esse per iocum fatebatur. nec tamen falsus est Ovidius. coniecturas facere magnum non potest videri nisi forte grammatico, tantumque abest ut Aristarchus ad Homeri laudes adspirare possit, ut is qui librariorum errores e florentissimorum ingeniorum scriptis feliciter expellit nihilo minus vel infra opificum dignationem videatur detrudi qui e veste nostra sordes eluunt. quippe fullonicam artem Minerva ipsa et invenit et docuit: qui coniecturam fecerit neque deus indicari potest neque heros. itaque pusilli animi est emendationi inter artis nostrae officia aut unicum aut principem locum adsignare. at suus certusque locus ei est, et si prae totius philologiae maiestate sordet, sine ea sordida esset philologia. difficultas autem non tam in taedio illo sita est, quod Ovidius moleste ferebat, quam in eo quod coniecturas facere non est quomodo aut discamus aut doceamus; nisi forte docemus exemplo, discimus usu. feliciter conicere *πολλῆς πείρας τελευταῖον ἀπογέννημα*, sed etiam in coniciendo *πεῖρα μαθήσιος ἀρχά.* quodsi cum divinatione componimus coniciendi artem, fatemur multum ei inesse incerti, neque mirum, si *πολλοὶ θριοβόλοι, παῦροι δέ τε μάντιες ἄνδρες* etiam inter nos, sed aliquid eidem necessario inest etiam divini.

Vos, commilitones humanissimi, in hac potissimum coniecturali arte studia vestra collocare intellexi. quocirca, hac scribendi occasione subito oblata, coniecturas aliquot vobis proponendas duxi, de quibus et ego dicere paucis possem et iudicare facile lectores. quamquam humilia potius esse quam difficilia quae hanc tractandi rationem admittant consentaneum est. incipiam autem ab Ovidii loco non emendando quidem sed explicando, Aristarchi enim sententiam quandam sibi probari obscure significavit doctus poeta. met. XIII 682 Anius Aeneae cratera donat quem *fabricaverat Alcon Hyleus.* Lydium hunc Alcona dicit Lactantius in argumento; itaque de lectionis integritate dubitatur. sed quin a Graeco scriptore vel ab ipso Ovidio *Ὑλεύς* derivari potuerit ab Hyla, ut *Φλυεύς* a Phlya, *Βοιβεύς* a Boeba, non dubitabimus, deficiente idoneo apud Graecos exemplo. Hyla, producta prima vocali, Boeotiae vicus est, quem Homerus *B* 500 nominat. eundem, correpta

vocali, *H* 221 intellexit Aristarchus, patriam Tychii qui Aiacis scutum fabricaverat, ac vocalis quidem correpta est etiam *E* 708, ubi Boeotiae vicus esse diserte dicitur. Ovidius cum fabrum Hyla oriundum facit, civem eum esse vult Tychii Homerici, productaque vocali Boeotios eos fabros esse subindicat. quarto Iliadis loco, *Y* 385, Aristarchus Hydam scripsit, Lydiaeque urbem vel potius Sardium arcem intellexit. sed alii ibi quoque Hylam, Lydiam scilicet, et scribebant et intellegebant: his Lydus erat Tychius, hos secutus Lactantius contra Ovidii mentem Lydium etiam vocavit Alcona. invenitur Aristarchi sententia apud asseclas eius Apollodorum Strabonis 408, Apollonium Archibii f. s. v. Ὕλη, Aristonicum ad quattuor Iliadis versus, Lehrsium [2] 235, ceterae sententiae apud Epaphroditum Stephani s. v. Ὕλη et Ὕδη et scholiorum BV, Demetrium Strabonis 626. quod ad rem attinet, Hydam fuisse Sardium arcem cum per locupletem testem, Maeandrium, constet, Aristarchi iudicium in tribus libris *BEY* probandum est, sed de Tychii patria Zenodoto subscribendum. nam ratio Aristarchi, quam Strabo reddit p. 408 *οὐ γὰρ* <*ἂν*; hoc supplevi> *ὁ Αἴας ἐκ Λυδίας τὸ σάκος μετεπέμπετο,* poeta minime digna est. Aiax ne e Boeotia quidem arma arcessiturus erat, neque erant in dumetis Boeotiae fabricae, quae num fuissent quaerere distulit Aristarchus. sed e Lydorum maxima urbe repetita arma principibus Ioniae viris praeplacuisse et heroibus ea omnia a poetis adscripta esse quae cum maxime praeplacerent, existimabit quisquis recte de antiqua poesi iudicare didicerit. titubasse Aristarchi iudicium nequaquam opprobio ei est vertendum, in Ovidio verum eruditionis et artis Alexandrinae imitatio adeo admiranda est. nunc ad coniecturas transeo et primum quidem in Ovidio factas.

Trist. I 5 25 *scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum, tempore sic duro est inspicienda fides.* cum pro fulvo auro integerrimus testis, Marcianus, *salvum* praebeat, Ovidius *solidum* dedisse censendus est. — IV 4 47 de Augusto, quem solito more deum vocat, *forsitan hanc ipsam, vivat modo, finiet olim, tempore cum fuerit lenior ira, fugam.* facile demonstraretur non de Augusti sed de Ovidii sub barbaro caelo languentis vita verba fieri, etiamsi non Marcianus *vivant* praeberet: Ovidius *vivam modo* dederat. — explicatius dicendum est de carmine III 12, in quo Guelferbytanus in Marciani locum vocandus est. scribit Ovidius ineunte vere, mense martio anni 10 p. Chr., indicatque tempus principio carminis, quod nemodum restituit. delabitur deinde ad describenda Romani veris gaudia, a quibus ad se Tomitanumque ver redit 27 *at mihi sentitur nix verno sole soluta quaeque lacu durae non fodiuntur aquae, nec mare concrescit glacie nec ut ante per Istrum stridula Sauromates plaustra bubulcus agit. incipient aliquae tamen huc adnare carinae.* apparet non id agere poetam ut Ponticum ver opponat Romano tamquam minus iucundum, sed grato laetoque animo ipse quoque mitiora tempora accipit; itaque pro adversativa particula *et mihi* reponendum est. mari aperto naves venient in Tomorum portum, occurret Ovidius nautis, ut nuntios e patria accipiat. sed verendum ne spes irrita fiat. *ille quidem mirum ni de regione propinqua non nisi vicinas tutus ararit aquas. rarus ab Italia tantum mare navita transit, litora rarus in haec portubus orba venit. sive tamen Graeca scierit, sive ille Latina* (40) *voce loqui* (*certe gratior huius erit*): (43) *quisquis*

is est, memori rumorem voce referre et fieri famae parsque gradusque potest. haec apte coeunt, neque credo intolerabilem esse brachylogiam qua v. 40 gratior huius vox dicitur, qui Latine loqui sciat. sed sustuli distichon, quod inter 40 et 43 traditur *fas quoque ab ore freti longaeque Propontidos undis huc aliquem certo vela dedisse noto.* quod tollendum esse ratio grammatica flagitat. nec tamen spurium iudico, sed traiciendum post v. 36, videnturque *nec mirum* et *fas quoque ἐκ παραλλήλου* posita esse. ergo hoc ait Ovidius, probabile est nautam esse e regione propinqua Getam, item credibile esse Graecum e Bithynia, Italum esse non credit: quisquis tamen est (utinam Italus sit), modo sermonem eius intellegere possit, rumores certe ex urbe percipiet.

Propertius I 12: „*quid mihi desidiae non cessas fingere crimen, quod faciat nobis conscia Roma moram? tam multa illa meo divisa est milia lecto, quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano, nec mihi consuetos amplexu nutrit amores, Cynthia nec nostra dulcis in aure sonat.* Cynthiae amorem cessasse, expulsum se esse, sed neque reconciliare puellam neque amoris posse oblivisci: *Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit*“. alterum versum corruptum esse constat, regnat autem eorum sententia qui pro conscia Roma aliquo modo Cynthiae nomen inferunt. displicet hoc, cum elegantissime idem nomen v. 6 proferatur, gaudeatque Propertius hac artificiosa verborum collocatione. vel magis displicet, quod Roma eicitur. neque enim hoc opprobrio vertunt Propertio amici quod Cynthiae serviat, quam sibi iratam esse non tanquam novam rem narrat, sed quod memoria et desiderio amissae Cynthiae se consumat. quibus respondet, se non posse quamvis irritum amorem deponere. quid igitur commodius amici ab eo poterant postulare quam ut Romam relinqueret? quid rectius crimini ei dare, quam quod Romae desideret? ergo Romae nomen minime sollicitandum. *conscia* autem ut emendemus inde contingit quod nomen amici desideramus. nam in primo libro, quem ad Tullum misit Propertius, omnia carmina ad unum certumque hominem data sunt, cuius nomen versibus inest, ad Cynthiam (2. 3. 8. 11. 15. 17. 18. 19) Tullum (1. 6. 14. 22) Gallum (5. 10. 13. 20) Ponticum (7. 9) Bassum (4), accedit ianua (16) et epitymbion Galli epigramma (21). contra in altero libro praeter Maecenatem, ad quem datus est, verum nomen nullum positum est, ficta pauca, velut Panthi Demophoontis Lyncei. itaque delitescere in carmine I 12 alicubi proprium nomen affirmare audeo: *conscia* corruptum est; opinor, e *Pontice.*

Horatius ad Pis. 88 *cur nescire pudens prave quam discere malo?* legit haec Porphyrio conatusque est pravum pudorem ignorare quam discere malentis enarrare. at mihi et haec videntur ab Horatii in dicendo proprietate abhorrere, et antitheti elegantia pessumdari, si *prave pudens* coniungere cogimur. praestat opinor: *cur prave nescire pudens quam discere malo?* nam pravum est in ignoratione perstare, pudeat nos ignorantiae, et discendo ei medicemur. corruptelae autem idem genus quod paullo ante v. 65 invasit, cuius ansa illic correptio insolita, hic traiectio particulae *quam* fuit.

Lucretius I 232 immortalitatem materiae demonstraturus inter alios et hoc utitur syllogismo, *omnia debet mortali corpore quae sunt infinita aetas consumpse ante acta diesque. quodsi in eo spatio atque ante acta aetate fuere e*

quibus haec rerum consistit summa refecta, immortali sunt natura praedita certe. condicionali enuntiato non potest non ea quae antecedit sententia repeti. atqui nihil ad rem, refici elementa aetate ante acta: omni aetate reficiuntur. quid porro sibi vult *id spatium?* κενόν Epicureorum cum huc non faciat, spatium de tempore intellegendum est, cum aetate per eam figuram coniungendum quae a Graecis ἓν διὰ δυοῖν dicitur. tum vero pronomini demonstrativo nullus locus. itaque hic haeret corruptela, *ante acta* autem e proximo versu perperam sunt repetita, quo corruptelae genere vix ullum fuit in codice Lucretii frequentius. remedium facile: *quodsi infinito spatio atque aetate fuere . . . refecta.*

Seneca Phaedr. 28 Phliunta in Attica collocat, quod confusis Phlya et Phliunte factum esse manifestum est. nec tamen non ferendus error: eidem Senecae Peparethum esse Atticae insulam pulcre docuit Leo I 203. Phlius τῆς Ἀττικῆς dicitur ab Hippolyto in Sethianorum refutatione v 20, ubi e Plutarchi commentario Empedocleo pendet (locus fragmentis addendus). quid mirum, vicum Atticum cognominem visum esse, videri fortasse voluisse oppido Peloponnesi, praesertim cum religiones Cereris viderentur consentire. — 888 Phaedra vociferatur, *te te, creator caelitum, testem invoco, te* (*et* codd.) *te, coruscum lucis aetheriae iubar, ex cuius ortu nostra dependet domus.* fefellerat librarios Sol princeps paterque deorum, idem Pasiphaae genitor. Iovem Seneca non dixisset creatorem deorum. qui fortasse mythologiam Stoicam secutus est; sed idem multo antiquiores docuerant theologi, quibus ducibus Sophocles fgm. 875 *Solem*, inquit οἱ σοφοὶ λέγουσι γεννητὴν θεῶν καὶ πατέρα πάντων. — in epistula 21 Hauptius (op. II 322) compluria verissime emendavit, emendandum reliquit aliquid in hac sententia (10) *cum adieris hortulos* (Epicuri) *et inscriptum <videris> hortulis* etc. Hauptius, qui *videris* addidit, delendumne sit *hortulis*, ambigit. scribendum potius *et inscriptum portae videris.*

Dignum est accurata inquisitione unde bucolici Romani nomina propria personarum suarum sumpserint. quamquam qui post Vergilium fuerunt pleraque huic debent. sed etiam Horatianae apparent, Mystes in Einsidelensi fragmento altero (ubi cum Glycerino conloquitur: nam Glyceranus nullum nomen), apud Calpurnium Ornytus (1), et Propertianae, Lycotas (Prop. v 3) et Acanthis (v 5 61) apud eundem in sexta ecloga. quod certo ad Graecum exemplar referam nomen habeo nullum: itaque dubitanter profero coniecturam, qua Ladonem Calpurnii (I 18) cedere iussi Laconi Theocriteo (5). sed fluvii nomen ad pastorem translatum non habeo quo defendam.

Versus serpentini quos in Anthologia sua Riesius collocavit n. 38—80 paullo doctiores sunt quam cepit is qui titulos addidit; de editoribus tacere praestat. 50 *sanguine flos genitus fraudem testatur Ulixis: servat erile decus sanguine flos genitus.* titulus: *de Hyacintho*; spectat Aiacem et Hyacinthum. 68 *vulnera saevus aper laesae spectanda Dianae: flenda dedit Veneri vulnera saevus aper.* titulus: *de Adone;* spectat Meleagrum et Adonin. 70 *prodita prole parens partus enixa biformes: facta paterna luit prodita prole parens.* titulus: *de incesto partu;* spectat Pasiphaam et fortasse Myrrham. 72 *captus amante puer aquila moderante pependit: infamavit aquas captus amante puer.* titulus:

de Ganymede; spectat Ganymedem et Pelopem. semel tamen disticho corrupto veri vertigium in titulo superat. 53 *Deidamia virum qua coepit nocte mereri, perdidit hac dulcem Deidamia virum.* hoc falsum est. Deidamia Laodamiam expulit, in quam solam quadrat carmen. titulus: *deidamia* h. e. *de...damia.*

Varro Cato de liberis educandis apud Macrobium III 6, 5 *nutrix haec omnia faciebat* [*in*] *verbenis ac libis* (*tubis* codd.) *sine hostia, ut Deli ad Apollinis Genetivi aram.* usus erat Varro auctorve eius Aristotele qui apud Diogenem VIII 13 testatur Deli in ara Ἀπόλλωνος Γενέτορος πυροὺς καὶ κριθὰς καὶ πόπανα μόνα τίθεσθαι ἄνευ πυρός, ἱερεῖον δὲ μηδέν.

Tacitus dial. 25 postquam suam cuique antiquorum esse virtutem exposuit, *omnes tamen*, inquit, *eandem sanitatem eloquentiae serunt.* postquam olim *ferunt* aliquis coniecit, in hoc quasi fundamento novae coniecturae aedificantur. sed una addita littera bonum et verum *servant* nanciscimur.

Plinius N. H. VII 198, quis quid invenerit, enumerat; *figlinas Coroebus Atheniensis.* Coroebi, alteri Margitae, nihil inveniunt: *Ceramus*, Κεραμέων ἐπώνυμος, figlinas in Ceramico invenit.

Petronius 2 *nondum iuvenes declamationibus continebantur, cum Sophocles et Euripides invenerunt verba quibus deberent loqui.* neque tragici verba invenisse mihi videntur, quibus ipsi loqui deberent, multoque minus quibus iuvenes loquerentur. sequitur aequabilis sententia, qua declamandi consuetudo fuisse negatur *cum Pindarus novemque lyrici Homericis versibus canere timuerunt.* ergo suum et aptum dicendi genus sibi quaeque dicitur poesis creasse, expectamusque *quibus tragoedia deberet loqui*: quod mihi videtur Petronius magnificentius ita extulisse: *quibus <dei> deberent loqui.* similiter 77 Trimalchio non videtur eo contentus fuisse ut hospites hospitio suo capi diceret, sed dixisse *hospitium hospites* <C> *capit.* — idem 39 mathematicum agit XIIque signorum vires enarrat: *in leone cataphagae nascuntur et imperiosi, in virgine mulieres et fugitivi et compediti.* totum sexum femininum sub uno signo nasci ne Trimalchio quidem credebat, neque curabat omnino feminas: *mulierosi* potius respondent eis *qui se ipsi pascunt* eisque *qui utrosque parietes linunt.* — Crotone Encolpius scelus luit quod violato Priapi templo commiserat, itaque templum adit (133) *positoque in limine genu sic deprecatus sum numen adversum.* legitur *numina versu*, quod tribus de causis mutandum est, primum quia ante carmen dactylicum dactylica clausula eloquentissimo scriptore indigna est, deinde quod satira Menippea versibus utitur pro lubidine scriptoris, haudquaquam ita ut versus intertexi diserte moneat; Eumolpus posta est, Encolpius non item. denique unum Priapum Encolpius carmine eo adloquitur. — 75 Trimalchio Fortunatae uxori male dicit utiturque convicio *fulcipedia.* Buechelerus hoc a pede derivat atque in hanc sententiam mutari iubet. quod me non intellegere fateor: ego a pedendo ut derivem scribamque *pultipedia*, et eo adducor quod milites consimili convicio contra contubernales uti saepe audivi miles, et quod alio loco Trimalchio similia de contubernali sua iocatur, *quae solebat eum nocte desomnem facere* (47).

Ampelius inter mirabilia 8, 20 *Cypro signum Iovis Olympii aereum, facies ex auro, quem fecit Phidias.* possum tollere coniecturas de hac statua

factas, inveni enim in codicis Vaticani 989, qui Xenophontea continet, ultimo folio hunc mirabilium indicem haud uno nomine memorandum, quem cur neque ediderim adhuc, neque nunc enarrem, nolo exponere . . . ι ἔργα κάλλιστα καὶ θεάματα . ! . α ἐν τῷ κόσμῳ [ὁ] ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀρτέμιδος ναός· τὰ Βαβυλώνια τείχη· [αἱ] ἐν Αἰγυπτῳ πυραμίδες· ὁ ἐν Ῥώμῃ Ἀφροδίτης καὶ [Ῥώμης ναό]ς· τὸ ἐν Ῥώμῃ ἀμφιθέατρον· ὁ ἐν Ἁλικαρνασσῷ [Μ]αυσώλου τάφος· ἡ ἐν Ῥώμῃ Γαίου καὶ Λουκίου ναυμαχία· ὁ ἐν Κρήτῃ λαβύρινθος· ὁ ἐν Ὀλυμπίᾳ Ζεύς, ἔργον Φειδίου. [ὁ] ἐν Ἐπιδαύρῳ Ἀσκληπιός, ἔργον Φειδίου· ὁ ἐν Ῥόδῳ [κο]λοσσός, ἔργον Χάρητος· ἡ ἐν Ἄργει Ἥρα, ἔργον Πολυκλείτου· [ἡ] ἐν Κνίδῳ Ἀφροδίτη, ἔργον Πραξιτέλους· ὁ ἐν Μιλήτῳ ναὸς [τοῦ] Ἀπόλλωνος· ὁ ἐν Ῥώμῃ ἐν τῷ κίρκῳ ὀβελίσκος κομισθεὶς ἀπ Αἰγύπτου· ὁ ναὸς τοῦ Διὸς ἐν Ἡλίου πόλει· ὁ ἐν .άραις (sive ὕραις) τῆς Σελήνης· ὁ Ἀδριανοῦ ἐν Κυζίκῳ, ἀτέ[λε]στος· ὁ Διὸς ἐν Δαμασκῷ· αἱ ἐν Θηβαίδι σύριγγες· τὸ ἐν Σιδῶνι θέατρον· τὸ ἐν Ἡρακλείᾳ τῆς Θρᾴκης· [ὁ ν]αὸς τοῦ Σαρπηδόνος (l. Σαράπιδος) ἐν Ἀλεξανδρείᾳ· ὁ Ἀσκληπιοῦ ἐν Περ[γά]μῳ· ὁ ξυστὸς ἐν Σάρδει· ἡ ἡρακλεία κρηπὶς ἐν Σάρδει, [ἔχου]σα ἐν βάθει βαθμοὺς σν· ὁ ἐν Ἐφέσῳ λιμὴν χειρο[ποίη]τος ὅλος· ὁ ἐν Νικομηδείᾳ Ἀντωνῖνος· ὁ ἐν Βηρύτῳ [Ζεύς], ἔργον Φειδίου χρυσελέφαντα (sic) ἀτέλεστος· ἡ ἐν Μύροις τῆς [Λυκίας] Λητώ, ὁλοσμαράγδινος πηχυαία καθεζομένη ἐπὶ θρόνου ἐκ τοῦ αὐτοῦ λίθου, ἔργον Πραξιτέλους, ἀτέλεστος τὰ περὶ τοὺς πόδας καὶ τὰ ὄπισθεν καὶ τὰ περὶ τὸν θρόνον. supplevi quae charta lacerata perierunt; apud Ampelium Cyprus Beryti locum occupavit.

Servius sive potius vetus Vergilii scholiasta qui cum Servio edi solet, ad Aen. II 626 fabulam servavit de orno, habendam inter metamorphoses non ultimo loco, quas Graeco libro usus iam primo saeculo grammaticus quidam Vergilio adscripsit. *p . . . Oceani filia, a Sarpedone Ilii filia adamata est. quem cum veni sprevisset, faciente Venere Iasonem tunc ad Colchos euntem inefficaciter adamavit. quo absente cum iuctu* (Masvicius: *ad luchi* C) *conficeretur, in hanc arborem dicitur commutata.* Graecum orni nomen latet, sed et *p* . . . . et *veni* vix obscurant id quod flagitamus *Ptelee.* fuit ea in regione quam Iason inter Iolcum et Colchos tangere poterat, Iasonis aetate, ita ut Sarpedo non possit Lycius ille Patrocli adversarius esse. novimus antiquiorem, a quo Sarpedonium in Thracia promunturium. hunc Lycastis et Ides, Corybantis f., filium dicit Socrates Argivus in scholio Rhesi 28: atque Ida hic sub *Ilii* nomine latet. Ida simul cum patre Corybante in Troada nos deducit: ac Troadis urbem Πτελεόν Stephanus enumerat, λίμνη Πτελεώς apud Strabonem (XIII 595) est vicina Ophrynio. itaque Troicam fabellam recuperavimus Hegesianactibus Demetriisque haud indignam.

Probus ad Verg. Georg. 3, 6 p. 55, 10 K. *Latonia Delos, quia ibi peperit Apollinem et Dianam innisa* (*inapisa* P, *mapisa* V) *palmae et oleae arbore.*

Seneca pater sub finem Suasoriarum cum alia de M. Cicerone filio narrat tum hos sales patre Cicerone filio Seneca dignos. cum enim Hybreae, disertissimi viri, filius causam apud eum male oraret, exclamavit *ΗΜΗΟΝΠΑΤΗΡΩΝ*. quae ex his vulgo eliciuntur μὴ οὖν πατὴρ ὤν non magis intellegi queunt quam pleraque recentiorum in Senecae Graecis commenta. resipuerat e crapula Cicero cum dicebat ἡμεῖς οὖν πατέρων scil.

μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι. Sthenelus haec ait de se et Diomede ad Agamemnonem Δ 405: se et Hybream item epigonos esse, sed patrum dissimiles significat Cicero. quod apud Homerum ἡμεῖς τοι est, momentum non facit. — Controversia II 6 haec est *quidam luxuriante filio luxuriari coepit: filius accusat patrem dementiae.* p. 223 K. *a parte patris Glycon Spyridion dixit* ἐγὼ μὲν ἄρχομαι δαπανῶν, σὺ δ' οὐ παύῃ. prima verba recte erant constituta; ἄρχομαι feci e traditis *ΑΡΑΙΝ*. Damas Scombrus in eadem pagina σὺ τὴν ἐμὴν ἀσωτίαν ἀσωτεύῃ. traditur *CTHTHMENNN*. — Controv. IX 6 p. 445 Nicetes σύνοιδέ μοι, φησιν, ἡ θυγάτηρ, καὶ προσέθηκεν „ἐκ τούτου". hoc ne Graecum quidem est. traditur *KTOTYTOY*, id est ἢ τούτου.

Fronto quanto cum sudore Graecas epistulas composuerit, ipse queritur. nobis utiles sunt, quia eandem Graeci sermonis ignorantiam prae se ferunt quam in Lollianis et Favorinis Phrynichus exagitavit. talia minime licet emendare, quamquam saepius Nabero suam Graece scribendi peritiam, qua Frontonem longe anteit, quam spretam hodie a Batavis recensendi artem ostendere placuit. velut in Erotici hac sententia εἰ δέ σοι δόξαι . . . πλείω τάδ' εἶναι, ἔστω σοι τεκμήριον apud atticum quidem δόξει requireretur, nec optativi breviore forma oratores uti solent: sed haec Platonica est, et εἰ iam apud Aristotelem persaepe optativum regit more Athenis Atticis non probato. mox φράσω ὅπως τε ἔχει probat quidem Frontonem non distinxisse quid Homerum quid Platonem deceret, sed idem αἴσθομαι habet, sicut multo doctiores homines et illius et nostra aetate pariter vitiosa ἔγρομαι θένω εἰκάθω defenderunt. sed magis miror Naberum scribae usum haud satis perspexisse, qui utpote Italus ε et η confundit, ab itacismis sibi cavet: nam ι et ει ipse Fronto, opinor, non poterat discernere. ita 257, 5 ἀχρήιοι scriba: Fronto ἀχρεῖοι, 244, 6 ἡ μέν γε τύχη: cod. γη, 242 in ultimo epistulae 1 versu προσήκασα: cod. προσείκασα. sub principium alterius ἀλλ' ἐμοὶ μὲν ἐμποδὼν ἡ ἀρχὴ πρὸς ποδὶ ἤδη (ηδεη cod.) οὖσα. ambiguum est utrum qui scripsit an qui legit erraverit p. 258 ante εἴσθεσιν. *data occasione amans amator* θηρίου δίκην ὑπὸ λύττης ἱεῖτο (ειοιτο cod.) ἂν καὶ βαίνειν προθυμοῖτο μηδὲν αἰδούμενος. spurcities podagricum senem decet. sub finem erotici in heliotropii floris descriptione ἀλλ' οὐδέν γε πλέον ἀπολαύει (ἀπολλυσει cod.) οὐδὲ εὐμενεστέρου πειρᾶται διὰ τὸν ἔρωτα τοῦ ἡλίου.

Appiani ad Frontonem epistula paullo melius scripta est, quamquam e laciniis codicis integra restitui nequit. unum vero Appianus e doctrina grammatica admisit contra verum Atheniensium usum. p. 245 v. 12 καὶ οἱ θεοὶ δὲ τῷ νόμῳ τῶν πόλεων προσίενται ταῦτα παρὰ τῶν ἀνθρώπων κατα δεικνύουσιν οἱ θησαυροὶ τῶν θεῶν. aut dedit scriba illud κατα aut dare voluit. nibili est καθ' ἅ, quod inde eliciunt, neque quidquam mutandum. quid desideratis in hac sententia *etiam dei talia ab hominibus accipiunt, atque exhibent thesauri deorum?* κᾆτα intellegendum est. nam iam Trypho dubitarat, utrum κᾆτα esset καὶ εἶτα, an κᾶτα paullo fortius καί. disputat de hoc errore Apollonius *de adv.* 496, nec mirum quod Appianus docte erravit. — apud eundem *bell. civ.* I 97 Sulla Veneri coronam auream ac securim mittit inscriptam carmine, quod e duobus hexametris et pentametro constat, qualia systemata ab antiquissimis temporibus usque ad Trimalchionem in usu fuerunt. carmen

hoc est τόνδε σοι αὐτοκράτωρ Σύλλας ἀνέθηκ', Ἀφροδίτη, ᾧ σ' (ὡς codd.) εἶδον κατ' ὄνειρον ἀνὰ στρατιὴν διέπουσαν τεύχεσι τοῖς Ἄρεος μαρναμένην ἔνοπλον. — *bell. civ.* v 11 agitur de Antonio primum Alexandriae hiemante, ἔξοδοί τε ἦσαν αὐτῷ ἐς ἱερὰ ἢ γυμνάσια ἢ φιλολόγων διατριβὰς (διατριβαί codd.) μόναι καὶ δίαιτα μεθ' Ἑλλήνων. sustuleram leve vitium antequam de eodem Athenis hiemante legerem 76 ἔξοδοι ἦσαν αὐτῷ . . . ἐς διδασκάλων διατριβὰς ἢ ἀκροάσεις.

Dio orat. xi 42 p. 187 Emp. Graeci fidem habent Homeri fabulis quamvis fallacibus τούτου δ' αἴτιον ἔφη εἶναι ὅτι φιλήκοοί (φιλήδονοι codd.) εἰσιν οἱ Ἕλληνες, ἃ δ' ἂν ἀκούσωσιν ἡδέως τινὸς λέγοντος, ταῦτα καὶ ἀληθῆ νομίζουσι. lxvi 9 p. 702 οὐ γὰρ ὀλίγοις λίνοις, φασίν, ἢ δυσὶν ἢ τρισὶν ἑταίραις οὐδὲ δέκα λεσβίοις θηρεύεται δόξα . . . . ἀλλ' ἀνάγκη πόλεως ἀκολασίαν ἔχειν. decem Lesbii vix poterunt explicari, etiamsi de vino Lesbio cogites. suspicor Dionem dedisse οὐδὲ ἑπτὰ Λεσβίσι, memorem Agamemnonis, qui ut Achillem sibi conciliet promittit *I* 128 δώσω δ' ἑπτὰ γυναῖκας . . Λεσβίδας, quod lascive interpretatus est iam Pherecrates Chirone 8. — or. xxxi 92 p. 392 παρ' Ἀθηναίοις Ἐλευσῖνι μύστου παιδὸς εἰκών, codd. Ἐλευσινίου. similis corruptela apud Maximum Tyrium vii 1 . . . ἀνδρὸς πρὸς μὲν τὸν Δώριον τρόπον ἡρμοσμένου καλῶς, εἰ δέ που ἐδεήσεν Ἰαστὶ (Ἰάστιον vulgo) ἁρμόσασθαι ἢ κατὰ τὸ Αἰόλιον ἦθος, ἀφώνου γιγνομένου. sed talia venari taedet.

Philostratus Imag. ii 4 in Hippolyto λειμῶνες ἐν ὥρᾳ μειρακίων . . . . μαραίνουσιν ἐπὶ σοὶ τὰ ἄνθη, Νύμφαι τε αἱ σύντροφοι (σαὶ τροφοί vulgo) τουτωνὶ τῶν πηγῶν ἀνασχοῦσαι σπαράττουσι τὰς κόμας. ii 7 in Antilocho γνωρίζοις ἂν τὸν Τελαμώνιον ἀπὸ τοῦ βλοσυροῦ, καὶ τὸν Λοκρὸν ἀπὸ τοῦ ἰταμοῦ: vulgo ἑτοίμου. ἰταμότης proprie de oculis dicitur.

Aristides in panegyrico Cyziceno i p. 387 D. Cyzici situm laudat διὰ γὰρ τὸ μὴ κατ' αὐχένα εἶναι διαβατὴν μηδὲ ἀπὸ στενοῦ τινὸς ὡρμῆσθαι, ἀλλ' ἐπὶ μήκους παρατείνουσαν τὴν ἤπειρον κατ' ἄμφω τὼ σκέλη συνεχῆ πρὸς αὐτὴν εἶναι τό τε τῆς Σκύρου παράδειγμα ὑπερβέβληκε καὶ εἰ δή τις ἄλλη πόλις ἢ νῆσος παρὰ μικρὸν ἤπειρός ἐστι. Scyrus neque convenit neque ignobilem insulam, cuius tantum caprae laudantur, superare magnum est. natura docet quam urbem Aristides nominaverit, Cnidum, in extremo promunturio sitam, fossa seiunctam, isthmo coniunctam cum terra. — e scholiis Aristidis quae e libro Marciano descripsi placet proponere hoc, quod sub sermone barbaro pretiosum et grave Crateri fragmentum continet. ad orationis pro iv viris 218, 1 scholion habet Dindorfius iii 656, quod altero hoc augetur Κρατερός τις ἐγένετο, ὃς συνῆξε πάντα τὰ ψηφίσματα τὰ γραφέντα ἐν τῇ Ἑλλάδι. καὶ τοῦτο τὸ γραφὲν εἰς τὴν στήλην Κίμωνός ἐστιν. ὁ δὲ Ἀριστείδης Θεμιστοκλέους τοῦτο λέγει. famosum illud dicit de Arthmio Zelita, quod Aristidi e Demosthene innotuit.

Apud Aelianum Var. hist. iv 14 Hercherus Anaxarchi Eudaemonici nomen in Anaxagoram corruptum tulit, quamvis addito libri περὶ βασιληίης titulo. idem Aelianus (ix 30) eundem Anaxarchum narrat, cum comperisset mox in desertas et ligno destitutas regiones perventum iri, abiectis impedimentis ligna servis imposuisse. itaque cum in desertis illis exercitus rigeret, servi regii vel lectos confringerent ad focum alendum, Alexandrum in Anaxarchi ten-

torium transisse, ut igne per eius providentiam parato uteretur. ἀφίκετο παρ' αὐτὸν καὶ ἠλείψατο ἐν τῇ σκηνῇ τῇ (τοῦ codd.) Ἀναξάρχου. neque credo regem unctum rediisse ad frigus, neque quid unctio sibi velit, perspicio; pernoctasse Alexandrum credo: ηὐλίσατο. — Phlego mirab. 17 memoriae prodit haud procul Athenis insulam esse, quam cum Athenienses munirent, inventam esse arcam centum pedum cum ossibus ingentibus et titulo τέθαμμ' ὁ Μακρόσιρις ἐν νήσῳ μακρᾷ ἔτη βιώσας ἑπτάκις τὰ χίλια. humani aliquid accidisse Herchero, qui scazontem fecit ἐν νήσῳ μικρᾷ, non monerem, nisi et glisceret error et fabella quamvis inepta corrumperetur. nam insula ea etiamnunc extat, longa non parva vocanda, Helena, et etiamnunc vocatur μακρονήσιον. — ex Apollodori personati bibliotheca ingentem vitiorum numerum exemit Hercherus, sed amputandi studio cum alibi nimium indulsit tum i 6 1 6. Hercules πρῶτον μὲν ἐτόξευσεν Ἀλκυονέα, [αὐτὸς δὲ ἐπὶ τῆς γῆς μᾶλλον ἀνεθάλπετο], Ἀθηνᾶς δὲ ὑποθεμένης ἔξω τῆς Παλλήνης εἵλκυσεν αὐτόν. ita Hercherus, sed rationem Minervae iam non audimus. emendandum erat ὡς δὲ ἐπὶ τῆς γῆς πάλιν ἀνεθάλπετο, Ἀθηνᾶς ὑποθεμένης κτέ.

Clemens Alexandrinus Strom. i p. 414 iambos apponit Ezechieli. sextus eclogae versus in codice hic est, *Pharao* ἔπειτα κηρύσσ' ἡμῖν Ἑβραίων γένει τἀρσενικὰ ῥίπτειν ποταμὸν ἐς βαθύρροον. scribendum ἔπειτ' ἐκήρυσσ' ἡμίν, Ἑβραίων γονῆς τἀρσενικὰ ῥίπτειν. v. 15 filia Pharaonis ad Nilum accedit, ubi Moses (qui loquitur), infans expositus est: ἰδοῦσα μ' εὐθὺς καὶ λαβοῦσ' ἀνείλετο, ἔγνω δ' Ἑβραῖον ὄντα. tautologia ne huic quidem Iudaeo condonanda, sed κάλεοῦσ' ἀνείλετο scribendum. — Iudaeum tragicum superat aliquanto epicus Samarita, Theodotus, cuius versus aliquot apponit Alexander polyhistor apud Eusebium pr. ev. ix 426. ibi haec est Sicimorum descriptio: *duo montes sunt* τῶν δὲ μεσηγὺ ἀτραπιτὸς τέτμηται ἀραιή· τῇ δ' ἑτέρωθι (potius ἑτέρωθεν) αὐλῶνος Σικίμων καταφαίνεται ἱερὸν ἄστυ. traditum in libris potioribus ἀραιή, αὐλωπίς ἐν δ'ἑτέρωθι ἡδ'ἑτέρη Σικίμων κ. ἱ. ἀ. editores ne Σικίμων ἄστυ quidem coniungunt. pergit Theodotus νέρθεν ὑπό ῥίζῃ δεδμημένον, ἀμφὶ δὲ τεῖχος λισσὸν ὑπώρειαν ὑποδέδρομεν αἰπύ τε ἕρκος. mutavi αἰπύθεν codicum perfectumque restitui in eisdem ὑπὸ δ' ἔδρομεν scriptum, ab editoribus non intellectum. p. 427 Theodotus narrat Laban Leae patrem Iacobo maiorem pro minore filia tradidisse, οὐδὲ μὲν ἔμπης ἔλλαθεν, ἀλλ' ἐνόησε κακορραφίην καὶ ἔδεκτο παῖδ' ἑτέρην, ἀμφοῖν δ'ἐμίγη συνομαίμοσιν ἴσῃ: libri σὺν ὁμαίμοσιν ἦσιν. alia vitia tollere ego non possum, nam omnino Eusebii praeparatio evangelica tot tam manifestis mendis circumfertur inquinata, ut delibare nihil iuvet nisi prave formatum futurum κτιῶ a κτίζω, quod Oenomaus admisit vi 7 p. 256 εἴ μοι πέπρωται Εὐβοίας ἄκρον ἱκέσθαι καὶ ἱερὰν χώραν κτίζειν, καὶ ἵξομαι καὶ κτιῶ: codices κατιῶ. nam Numenii de Lacyde narratiunculam ut a sordibus librariorum vindicarem, non a me impetrarem, nisi simul confutato contumaci errore quo nuper ad comoediam relata est. quod ab hoc loco alienum.

M. Antonini l. ix caput 41 ita distinguendum et scribendum. Ὁ Ἐπίκουρος λέγει ὅτι „ἐν τῇ νόσῳ οὐκ ἦσαν μοι αἱ ὁμιλίαι περὶ τῶν τοῦ σωματίου παθῶν, οὐδὲ πρὸς τοὺς εἰσιόντας τοιαῦτά τινά, φησιν, ἐλάλουν, ἀλλὰ τὰ προηγούμενα φυσιολογῶν διετέλουν καὶ πρὸς αὐτῷ τούτῳ ἦν (ὧν *codd.*), πῶς ἡ διάνοια συμ-

μεταλαμβάνουσα τῷ σαρκιδίῳ τῶν τοιούτων (τῶν ἐν τῷ σ. τ. codd.) κινήσεων ἀταρακτεῖ τὸ ἴδιον ἀγαθὸν τηροῦσα, οὐδὲ τοῖς ἰατροῖς ἐμπαρεῖχόν, φησι, καταφρυάττεσθαι ὥς τι ποιοῦσιν, ἀλλ' ὁ βίος ἤγετο (Gataker: ἤρετο codd.)." εὖ καὶ καλῶς· ταὐτὰ οὖν ἐκείνῳ ἐν νόσῳ, ἐὰν νοσῇς, καὶ ἐν ἄλλῃ τινὶ περιστάσει· τὸ γὰρ μὴ ἀφίστασθαι φιλοσοφίας ἐν οἵοις (Reiske: οἷς codd.) δήποτε τοῖς προσπίπτουσι, μηδὲ ἰδιώτῃ καὶ φυσιολόγῳ (velut medico) συμφλυαρεῖν, πάσης αἱρέσεως κοινόν, <ἀφιλόσοφον δὲ vel tale quid> πρὸς μόνῳ τῷ νῦν πρασσομένῳ εἶναι καὶ τῷ ὀργάνῳ δι' οὗ πράσσει. nobis supervacaneum videtur ἐν νόσῳ, ὅταν νοσῇς, sed Graeci ita loquuntur. Eurip. Alc. 726 θανῇ δυσκλεής, ὅταν θάνῃς Heracl. 320 ἐγὼ ζῶν καὶ θανών, ὅταν θάνω. et quam late regnet abundantia, Vahlenus imprimis multis docuit: docebit optime Platonis lectio.

Gratissimo animo accipienda est nuper parata Cornuti editio ad codices exacti, sed quamquam inter omnia vitiorum genera, quibus scholasticus libellus obrutus est, etiam interpolatio grassata est, tamen editor, cui obeli usus nimis parcus crimini datus est, multo tenacior verborum traditorum esse debebat. demonstrabo hoc in capite 31, quod de Hercule est. Ἡρακλῆς ἐστὶν ὁ ἐν τοῖς ὅλοις λόγος, καθ' ὃν ἡ φύσις ἰσχυρὰ καὶ κραταιά ἐστι, καὶ ἀπεριγένητος ὢν (Schmitt-Blank: οὖσα codd.) καὶ μεταδοτικὸς ἰσχύος (μ. κ. ἰ. codd.) τοῖς κατὰ μέρος καὶ ἀλκῆς ὑπάρχων. sequitur veriloquium nominis. οὐ δεῖ δὲ ὑπὸ τῆς νεωτέρας ἱστορίας ἐκταράττεσθαι (ἐπιτ. codd.) confusum enim esse cum deo propter virtutem filium Amphitryonis. fortasse autem ad hunc translatas esse a deo clavam et pellem leoninam. *nam cum imperator hic fuerit et cum exercitu multas terras adierit, fieri non potest ut nudus et solo ligno armatus incesserit, sed dei signis ornatus est postquam pro deo habitus est: utrumque autem signum est roboris et virtutis. etiam sagittarius rectius deus accipitur, qui omnia penetrat: imperatorem enim his armis fretum in aciem prodire absurdum est.* similiter ad deum Cornutus refert Iuventae nuptias et servitutem Lydiam. perspicua est ratiocinatio, cuius nervos incidit qui eas causas tollit, quibus vestis et arma Herculea imperatori, quem inde ab Herodoro „rationalistae" (ut Lobeckiane loquar) effinxerant, non convenire dicuntur. mentem scriptoris autem non capit qui cum Osanno haud ineptum pro absurdo dicit, ducem sagittis armatum in aciem procedere. hoc loco nihil est mutandum; supra leni medicina opus est στρατηγὸν — οὐχ οἷόν τε γυμνὸν [ἔδοξε] περιεληλυθέναι ξύλῳ μόνον ὡπλισμένον, ἀλλὰ τοῖς ἐπισήμοις τοῦ θεοῦ μετὰ τὸν ἀπαθανατισμὸν ... κεκόσμηται (κεκοσμῆσθαι codd.). in eis quae de Omphala sunt (p. 64, 13 Lang) usus linguae flagitat optativum pro indicativo καὶ τοὺς ἰσχυροτάτους ὑποτάττειν δεῖ ἑαυτοὺς τῷ λόγῳ . . . εἰ καὶ θηλύτερόν τι . . . προσπίπτειε (προσπίπτει codd.). in extremo capite violentius agendum. τοὺς δὲ δώδεκα ἄθλους ἐνδέχεται μὲν ἀναγαγεῖν οὐκ ἀλλοτρίως ἐπὶ τὸν θεόν, ὡς καὶ Κλεάνθης ἐποίησεν· οὐ δεῖν δὲ δοκεῖν πάντων εὑρεσίλογον πρεσβεύειν. hoc recensio parat fundamentum, nam quod alii codices δεῖ, alii δοκεῖ praebent, complures πανταχοῦ, aperta emendationis sunt conamina. qualis sententia enucleanda sit, vix ambiguum. Cornutus enim postquam aliquot explicationes singillatim persecutus est, perterritus ipse mythologicis ineptiis, quas apud Cleanthem (cui integrum caput debet) invenit

multo plures, desinit; cavendum enim esse ne videamur putida diligentia omnia in physicam rationem cogere. οὐ δεῖ δὲ δοκεῖν <ἐπὶ> πάντων εὑρεσιλογεῖν πρὸς βίαν.

Sextus empiricus adv. musicos 18 p. 751 B. laudes musices hac sententia circumscribit καθόλου γὰρ οὐ μόνον χαιρόντων ἐστὶν ἄκουσμα, ἀλλ' ἐν ὕμνοις καὶ εὐωχίαις καὶ θεῶν θυσίαις ἡ μουσική. διὰ δὲ τοῦτο καὶ ἐπὶ τὸν τῶν ἀγαθῶν ζῆλον τὴν διάνοιαν προτρέπεται· ἀλλὰ καὶ λυπουμένων παρηγόρημα, ὅθεν καὶ τοῖς πενθοῦσιν αὐλοὶ μελῳδοῦσιν [οἱ] τὴν λύπην αὐτῶν ἐπικουφίζοντες. vitiosum articulum exemi, sed inest alterum vitium. coniunguntur quidem apte hymni dapes sacrificia, sed voluptati non omnia possunt opponi. nam sacra musica opponitur profanae, quae voluptati tantum inservit, in dapibus vero non sacra est sed voluptuosa. accedit quod is ad quem haec omnia redeunt (Aristoxenus Aristoxenive discipulus) certum Euripidis dictum in mente habuit, qui perversos esse mortales dixit οἵτινες ὕμνους ἐπὶ μὲν θαλίαις ἐπί τ' εἰλαπίναις καὶ παρὰ δείπνοις ηὕροντο βίου τερπνὰς ἀκοάς, στυγίους δὲ βροτῶν οὐδεὶς λύπας ηὕρετο μούσῃ καὶ πολυχόρδοις ᾠδαῖς παύειν (Med. 193), quod tota hac sententia refutatur. itaque εὐωχίαις male occupavit locum alius vocis quam εὐχαῖς potius fuisse credo quam εὐχωλαῖς. denique etiam in proximis versiculus tragicus latere videtur λυπουμένων παρηγόρημα μουσική. nam scatebat haec disputatio et versibus et narratiunculis a Sexto aut recisis aut obscuratis, velut p. 749 30 post Spartanorum bellicam musicam cum οἱ ταῖς Σόλωνος χρώμενοι παραινέσεσι dicuntur ad tibiam et lyram in aciem prodire, quis non intellegit Athenienses? at intellegendi sunt Lydi, quorum rex Croesus Solonis praecepta sero sane secutus est: docet hoc Athenaeus XII 517 XIV 627. Athenienses pugnantes neque fidibus neque tibiis sed voce canebant; signa tubicen dabat.

Plotinus scripta sua obscura reddidit non tam per philosophiam abstrusam quam per scribendi imperitiam. idem in eis legendis patimur quod in Heraclito Aristoteles: interpungendi difficultate fatigamur. sed iusta interpunctione pleraque simul explicantur, rectius interdum quam Müllerus fecit dum germanice Plotinum suum exprimit. ecce enneadis primae caput ultimum „οὐκ ἐξάξει, ἵνα μη ἐξίῃ (ἐξελεύσεται γὰρ) ἔχουσά τι, ἵνα καὶ ἐξέλθοι (τὸ γὰρ ἐξελθεῖν ἐστὶ μεταβῆναι εἰς ἄλλον τόπον), ἀλλὰ μενεῖ τὸ σῶμα ἀποστηναι πᾶν αὐτῆς, ὅτε μὴ δεῖται μετελθεῖν, ἀλλ' ἔστι πάντῃ ἔξω." enarrat Zoroastri iussum „*non eiciet* (vir bonus animam), *ne abscedat illa passa aliquid quocumque abibit*" ita, ut addat *exibit enim* contra eos qui interire cum corpore animam credunt, et *exire enim est transire* contra eos qui animae a corpore solutae certum locum esse negant, denique affirmativa forma reddit dictum quod negative enuntiatum acceperat. mutandum erat ἵνα καὶ ἐξίῃ in optativum, quod grammatica iubet, et τό τε ἐξελθεῖν in τὸ γὰρ ἐ. propter enuntiati formam, nunc, opinor, perspicuam. deinde ipse sibi subicit quasi adversarii interrogationem. quae dicendi figura philosophicis Graecorum scriptis penitus inhaesit, quandoquidem omnia e dialogo socratico nata sunt. „πῶς οὖν ἀφίσταται τὸ σῶμα"; ὅταν μηδὲν ἔτι δεδεμένον ᾖ τῆς ψυχῆς, ἀδυνατοῦντος ἔτι τοῦ σώματος συνδεῖν, τῆς ἁρμονίας αὐτοῦ οὐκέτι οὔσης ἣν ἔχον εἶχε τὴν ψυχήν. altera subiectio „τί οὖν, εἰ μη-

χανήσαιτο λυθῆναι τὸ σῶμα"; ἢ ἐβιάσατο, καὶ ἀπέστη αὐτός, οὐκ ἐκεῖνο ἀφῆκε· ἤ, ὅτε λύει, οὐκ ἀπαθής, ἀλλ' ἢ δυσχέρανσις ἢ λύπη ἢ θυμός. δεῖ δὲ μηδὲν ταράττειν. responsum duplex: qui efficit solutionem, aut per vim agit: tum vero eicit, peccat ergo contra oraculum; aut solvit: tum perturbatio aliqua sive affectus subest. emendavi ἢ ὅτε λύει ex καὶ ὅ. λ. et ταράττειν e πράττειν. tertia subiectio „εἰ οὖν αἴσθοιτο τοῦ ληρεῖν"; ἢ τάχα μὲν οὐ περὶ σπουδαῖον, εἰ δὲ καὶ γένοιτο, τάττοιτο ἂν ἐν τοῖς οὐκ ἀναγκαίοις τοῦτο καὶ ἐκ περιστάσεως αἱρετοῖς, οὐχ ἁπλῶς αἱρετοῖς. hoc perperam reddidit Müllerus: Plotinus enim desipientiam senilem fortasse circa levidensia tantum esse ait, veluti cum multa excidunt memoria, sed studium philosophiae durat, aut cum oculi auresque aciem perdunt. tum non licet mortem quaerere, ceteroquin licet quidem, sed ut exceptio sit, non regula. καὶ γὰρ ἡ τῶν φαρμάκων προσαγωγὴ πρὸς ἔξοδον ψυχῆς τάχ' ἂν ψυχῇ οὐ πρόσφορος. in his γάρ non inducit causam eorum quae proxime antecedunt, sed per eam ellipsin dictum est, qua Romani *nam*, Graeci ἐπεί persaepe usurpant. subest autem fere talis sententiarum conexus „*venenorum usum noli commendare* vel *credo te non commendaturum esse, nam ea vix apta sunt animae.* est ergo transeundi formula alia atque subiectio, sed item e cottidiano sermone sumpta. quae restant plana sunt.

Porphyrii vita Plotini satis quidem integra servata est, et ad emendandam nuper Cobetus accessit: restant tamen nonnulla vitia, e quibus pauca ego tollam. cap. I p. 3, 15 Müll. ἔπειτα γράφοντος <ἐκείνου> ἐκ τοῦ τῇ μνήμῃ ἐναποκειμένου ἰνδάλματος τὸ εἴκασμα καὶ συνδιορθοῦντος . . . . Ἀμελίου. p. 4, 20 τελευτῶντι δ' αὐτῷ . . . ., ἐγὼ μὲν <γὰρ> ὁ Πορφύριος ἐτύγχανον ἐν Λιλυβαίῳ διατρίβων . . . . Καστρίκιος δὲ ἐν Ῥώμῃ . . . . μόνος δὴ (δέ libri) παρῆν ὁ Εὐστόχιος. p. 5, 32 *Amelius* ἕξιν μὲν ἔχων ἀπὸ τῆς Λυσιμάχου συνουσίας, φιλοπονίαν (φιλοπονίᾳ codd.) δὲ ὑπερβαλλόμενος τῶν καθ' αὑτὸν πάντων. miror Cobetum pusillo vitio deceptum esse, p. 9, 34 *Zoticus* ὃς καὶ <εἰς> τὰ Ἀντιμάχου διορθωτικὰ πεποίηται. p. 11, 5 recte codices tradunt Plotinum, dum cogitata perscribit ὡς ἀπὸ βιβλίου δοκεῖν μεταβάλλειν τὰ γραφόμενα et in principio capitis γράψας δὲ ἐκεῖνος δὶς τὸ γραφὲν ματαβαλεῖν οὐδέποτ' ἂν ἠνέσχετο ἀλλ' οὐδὲ ἅπαξ γοῦν ἀναγνῶναι. quod enim primitus transferendi est vocabulum, quoniam verbis traiectis et in ordinem redactis scripta et perpolimus et explanamus, has quoque apud sequiores induit notiones. μεταβολή Byzantii et versio est et commentarius exegeticus. p. 11, 15 *Plotinus meditando non abstinebat* ἢ μόνον ἐν τοῖς ὕπνοις, ὧν αὐτὸν (ὕπν. ὃν ἂν codd.) ἀπέκρουεν *et cibi continentia et mentis intentio.* p. 12, 7 *vis animae in Plotino tanta erat* ὡς ἀνακρούειν (ἀποκρούειν codd.) τὰς εἰς ἑαυτὸν ἐπιφορὰς εἰς τοὺς κακοῦν αὐτὸν ἐπιχειροῦντας. p. 15, 25 Πορφύριος δὲ ἐγὼ πρὸς τὸ Ζωροάστρου συχνοὺς πεποίημαι ἐλέγχους, ὅλως (ὅπως codd.) νόθον τε καὶ νέον τὸ βιβλίον παραδεικνύς. hic quoque inutilia temptavit Cobetus. — Porphyrius *de abst.* II 18 Aeschylum Delphis petentibus ut sibi hymnum faceret respondisse fert, sufficere Tynnichi carmen, quodsi ipse novum conderet, fore ut idem in se caderet quod novae statuae paterentur cum veteribus collatae. ταῦτα γὰρ καίπερ ἀφελῶς πεποιημένα θεῖα νομίζεσθαι, τὰ δὲ καινὰ περιέργως εἰργασμένα θαυμάζεσθαι μέν, θείου (θεοῦ codex, nam unus est) δὲ δόξαν ἧττον ἔχειν. eiusdem libri cap. 9 oraculum est quod

Apollo Pythius Episcopo dedit ὃς ἦν ἔκγονος τῶν Θεοπρόπων. Bernaysius videtur opinari fictum esse oraculum et Chaldaicum: atqui Theopropidarum gens re vera fuit in Graecia, Eretriae, nobilis, e qua Menedemum philosophum ortum fuisse Diogenes, ex Antigono nimirum, prodit II 125. itaque satius est aliquot saeculis antiquius credere oraculum illud. fuit omnino Bernaysius in libro altero, e quo Theophrastea praeclare enucleavit, ceteroquin minus felix; — Porphyrius ad B 370 p. 39, 7 Schrad. γράφει περὶ τῶν δεξιῶν ἀστραπῶν Ἕρμων ὁ Δήλιος (Meineke; codd. Ἑρμόδημος) „καὶ ὅταν κατὰ δεξιὰ χειρὸς ἀστράπτῃ, νίκην καὶ ὑπέρτερον εὖχος ὀπάζει". καὶ ὅλως οἱ περὶ τούτων σκεψάμενοί φασιν „ἀστραπαὶ καὶ βρονταὶ δεξιαὶ τοῖς ἐπιχειροῦσιν ἀγαθαί (codd. ἄγεσθαι)· φόβους γὰρ τοῖς πολεμίοις σημαίνουσιν, ἐν ἀριστεροῖς (codd. δεξιοῖς) γενόμεναι". quae alteri parti dextra sunt, necessario a sinistra spectantur inimicis. quodsi tonitrua sinistra terrorem iniciunt inimicis, nobis opitulantur, quibus a dextra veniunt. librarios peccasse non est mirandum.

Plutarchus de Stoicorum repugn. 2 epigramma adscribit, quo Aristocreo Chrysippi discipulus et affinis statuam eius ornavit τὸν θεῖον Χρύσιππον Ἀριστοκρέων ἀνέθηκεν τῶν Ἀκαδημεικῶν στραγγαλίδων κοπίδα. correxi vitiosam formam Ἀκαδημαικῶν et in maioris versus principio τόνδε νέον. fuisse Aristocreontem filium sororis Chrysippi prodit ex Apollonio Tyrio Diogenes VII 185, quem cum fratre Philocrate per avunculum commendatum esse Ptolemaeo III. in cuius aula ad studia geographica incubuit susceptaque usque in intima Aethiopiae itinera descripsit. Plin. n. h. VI 183 *primus Dalion ultra Meroen longe subvectus, mox Aristocreon et Bion et Basilis.* idem nonnullas eius mensuras habet (V 59 VI 191). fabulam de cane Aethiopum rege secundum eum narrat Hermippus Aeliani h. a. VII 40, ubi perperam Ἀριστοκρέωνα editur. sed eundem non alienum fuisse a philosophia demonstrant libri permulti quos avunculus ad eum dedit, logicorum syntaxis quinta integra, sextae septimaeque nonnulla, denique ethica cum alia tum nobilissimi περὶ καλῶν καὶ ἡδονῆς libri. ipse memoriam Chrysippi non solum statua illa honoravit sed etiam scripta parentatione. index Stoicus (ex Stratocle Rhodio vel potius Apollonio Tyrio) p. 46 Compar. ταφὰς Χρυσίππου commemorat.

Memno Heracleota, egregius scriptor, cum alia multa et eximia e tabulario publico praeclarae patriae protulit tum hoc epistulae initium quam L. Scipio consul a. 190 ad Heracleotas dedit Σκιπίων στρατηγὸς ἀνθύπατος Ῥωμαίων Ἡρακλεωτῶν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν. sed Photius qui haec servavit bibl. 229^b 13 turpe vitium intulit. Scipio et Memno στρατηγὸς ὕπατος dederant, quo nomine Romanos cum primum Graece scriberent consulem significasse Mommsenus docuit Ephem. epigr. I 223. ac novimus hac formula usos T. Flamininum cos. 198 Cn. Vulsonem cos. 189 alios.

Stephanus Byz. s. v. Εὐμένεια, πόλις Φρυγίας, Ἀττάλου καλέσαντος ἀπὸ Εὐμενοῦς τοῦ ἀδελφοῦ. ita emendandum est quod legitur φιλαδέλφου, etiamsi Eumenes aliquando hoc nomine usus sit, quod Mommsenus demonstratum it Herm. IX 118: nam Stephano simpliciter indicandum erat, quae ratio affinitatis inter conditorem oppidi et inter eponymum intercederet, obsoleta alterius nomina non poterat captare.

Scholiasta Apollonii Rhodii IV 1405 vocem πῦον a πύθεσθαι derivat teste Myclo quodam Neapolitano. μύκλος nomen esse potest, sed cedere debet notiori, Lycum enim Neapolitanum, medicum etymologum, bis nominat Erotianus. — in scholio I 558 Lysimachus multos enumerat scriptores qui οὐ τὴν περὶ Ἀχιλλέως διεσπαρμένην ἀφῆκαν ἡμῶν ἐπὶ χώρας δόξαν. intellegi haec poterunt ubi pro ἡμῶν scripseris μένειν. — Scholion Aristophanis Thesm. 1015 παρὰ τὰ ἐξ Ἀνδρομέδας Εὐριπίδου 'φίλαι παρθένοι, φίλαι μοι' τὰ δὲ ἐπιφερόμενα πρὸς τὸ αὐτὸ χρήσιμον. memorabilis corruptela, sed facilis: scholiasta volebat τὰ δὲ ἐπιφερόμενα παρὰ τὸ αὐτὸ χορικόν. — Av. 1568 de Laespodia scholio docto adhaerent haec

Δημήτριον δὲ πάντες τὸν Ἰξίονα
λέγουσιν ἐν ταῖς Ἀττικαῖς λέξεσιν
ὡς γλῶσσαν ἐξηγεῖσθαι ὅτι [Λαισποδίας] ἐστὶν ὁ ἀκρατὴς
περὶ τὰ ἀφροδίσια ὥστε καὶ κτήνη σποδεῖν.

